I. N. D. N. J. C.

DISPUTATIO JURIDICA INAUGURALIS *DE* CANONICIS, CANONICATU ET CANONICORUM CAPITULO,

Quam

DIVINA ADSPIRANTE GRATIA,

Annue[illegible] Ampli[illegible] JCtor[illegible]

in Illustri Gryphorum [illegible]cademiâ

SUB PRÆSIDIO

Vir Præ-Nobilissimi, Consultissimi atque Excellentissimi

DN. PETRI MASSOVII,

J. U. D. Facultatis Juridicæ DECANI Spectabilis, & Consistorii Ecclesiastici Assessoris gravissimi, Dn. Hospitis ac Patroni sui plurimùm devenerandi

Pro summis in Utroque Jure honoribns & privilegiis Doctoralibus ritè consequendis

Publicæ Eruditorum disquisitioni ad diem 12. Julii submittet

AUGUSTUS FRANCISCUS Meier/

Lubecensis.

GRYPHISWALDIÆ

Typis MATTHÆI DOISCHERI Acad. Reg. Typogr.

Anno 1693.

I. N. SS. E. I. T.

Cum in omni tractatione potior quidem rerum, prior verò verborum ratio haberi debeat. *l. 1. pr. ff. de Just. & J. l. 1. ff. de reb. cred. l. 7. in fin. ff. de suppel. leg. Reinking. de Reg. Secul. & Eccles. lib. 1. class. 1. c. 1. in pr.* utique mihi nemo vitio vertere poterit, prima mea in præsenti de Canonicis, Canonicatu & Canonicorũ Capitulo discursu de notatione nominis cura sit. Est verò Canonici vocabulum origine græcum, & dicitur Canonicus omni dubio procul à Canone, eoq; vel primario ut Scriptura Canonica, quam Canonici diligenter tractare, vel præscripto seu secundario, ad quem ceu regulam vitam suam instituere debent canonicæ vitæ addicti. Κανὼν enim significat regulam, κανὼν græcè, latinè regula nuncupatur. *c. 1. distinct 3.* Regula verò dicta est, quod rectè ducit, nec aliquãdo aliorsum trahit, velut alii volunt, quod regat vel normam rectè vivendi præbeat. *c. 2. dist. 3.* unde metaphoricè Scriptura S. κανὼν dicitur *Gal. 6. v. 16. 2. Corinth. 10. v. 15.* quia est fidei & vitæ christianæ regula unica, norma & forma absolutissima. *Himmel. de Canonic. c. 1.* Quamvis alii nomen Canonici à Canonicatu seu Canonicà pensione derivare malint. *vid. Azor. Inst. moral. lib. 3. c. 11. q. 1.* quod fundamento carere non videtur, cùm Canonici propriè dicantur, qui Canonicatum habent, i.e. qui honorabilem locum in choro, & vocem, i.e. jus dicendi sententiam in Capitulo haben & canonẽ s. reditũ certũ ex Ecclesiâ collegiata vel cathedrali capiũt, *Greg. Tholos. p. 1. Jur. Can. Lib. 1. T. 27. c. 3. Matt. Steph*

 discur.

discur. Jur publ. part. 2. disc 3. Germanicè Canonici dicuntur Thumbherren/juxta idioma Saxonicum, Dohmherrn à Thumbkirch oder Dohm / quæ est Basilica metropolitana sive Ecclesia Episcopalis, quam vocem à *Dominico* nonnulli derivant ; & forsan rectius à *Domo.* Erant enim vetustiores & principales Ecclesiæ Martyrum & Apostolorum domus, nec olim fere Ecclesia construebatur absque reliquiis sive integro aliquo corpore Martyris cujusdam. Et ita olim omnis Ecclesia vocabatur, postea principales tãtùm. *Besold. in Thesaur. practic. verb.* Thumbkirch. Et hodienum in Italia e.g. Mediolani, Mantuæ, & passim, ejusmodi ædes primaria, masculino genere, *il domo* dicitur, prout notum est iis, qui illam terræ partem peragrarunt.

Th. II.

Canonicatus vocabulum modò pro munere, officio, honore vel Statu Canonicorum, qui personas ipsas Canonicorum afficit, non verò bona: modò pro beneficio propter officium accipitur & Canonia dicitur: in posteriori significatu Canonicatus seu Canonia definiri solet jus quoddam spirituale, quod ex electione seu collatione, vel institutione & receptione alicujus in Canonicum, oritur seu acquiritur. *Matth. Steph. d. l. Vallens. ad tit.* Decretal. *de præb. & dign.* §. *1. n. 2.* seu qvod sit jus percipiendi fructus veditus & obventiones rei Ecclesiasticæ, ex electione Capituli vel collatione Patronorum acquisitum. *Joach. Stephan. Instit. Jur. Can. lib. 2. c. 9. n. 3.* Unde patet, quod Præbenda à Canonia differat, scilicet ut effectus à causa, & Canonicatus se habeat ad Præbendam ut mater ad filiam, quam parit; Canonicatus enim trahit ad se præbendam, non contra: Canonia in jure, Præbanda in fructuum perceptione consistit. *Joach. Steph. d. l. n. 4.* Contemplatione

ne

ne juris per collationem Canoniæ, Præbenda conceditur. *Matth. Steph. d. l.* licet negari non posſit, voces illas Præbendam, Beneficium & Canoniam ferè confundi & ſæpius ſumi pro iisdem, quando de collegii vel corporis alicujus Eccleſiaſtici bonis eorumq; maſsâ communi quæritur. *c. ſi quis dator. & c. ex multis 1. q. 3.* Cœterum non deſunt, qui Canoniam à Canonicatu diſtingvunt, ut Canonia ſignificet ipſum Collegium Canonicorum, Canonicatus ipſum Canonicorum munus, officium & ſtatum, quod nec diſciplicere videtur *Vallenſ. d. l.*

Th. III.

In priore ſignificatu definitur Canonicatus *ab Himmel. d. l. c. 2.* quod ſit ſocietas ſeu ſtatus Eccleſiaſticus à Principibus Chriſtianis devotione & inſtitutione piâ inſtitutus & fundatus, ut eſſet primariò Eccleſiæ, ſecundariò Reipubl. ſeminarium, plantarium & quaſi promptuarium, ex quo eruditi viri & juvenes depromi ac deſumi poſſent, qui vel Eccleſiæ & Reipubl. operam navarent utilem ac neceſſariam. Et rectè ſe habet hæc definitio Himmelii, ſi ad initium & primarium Canonicorum Collegiorum finem reſpiciamus. Academiarum enim loco tunc temporis erant Canonicatus, in quibus docentes & diſcentes reperiebantur, & juventus non minus in pietate exercebatur, quàm in Sacris cumprimis literis nec non reliquis artibus liberalibus informabatur, ut Collegia priſca Canonicorum nihil aliud, quàm Studioſorum Scholæ fuerint. *Himmel. d. c. 2. per tot. Luther. tom. 7. Jenenſ. Germ. p. 261. ibi:* Deñ daß es erſtlich Schulẽ geweſt ſind/ (loquitur ibidem de Collegiis Canonicorum Germanicè Stiffte) zeugen dieſe Nahmen/ Probſt/ Dechant/ Scholaſtic9 Cantor, Canonici, Vicarii, Cuſtos, &c. Sed cum ſucceſſu temporis, neceſſitate nimirum & utilitate publicâ ſuadente,

dente, (negligebantur enim à Canonicis officia & aliis expedienda relinquebantur, quæ his commisſa erant. *vid. Chyrta. in Saxon. p. 1 p. 477.*) Academiæ publicæ à piis Imperatoribus, antecedente cumprimis & hoc ſeculo apertæ, officia Canonicorum propria & potiora, uti lectio & interpretatio Scripturæ Canonicæ, artium itidem & linguarum cultura, in eas translata ſint, in quibus jam Artes liberales & Facultates docentur & diſcuntur, ut ea propter ſeminaria Eccleſiæ & Reipublicæ hodie, ut olim Collegia Canonicorum, prædicentur, ſucceſſerunt enim Academiæ in locum Collegiorum Canonicorum. Unde adhuc in Academiis munera & nomina Academica ſeu Scholaſtica, Rectoris, Decani, Lectoris & alia retinentur, quæ omnia Academicos à Canonicis mutuatos eſſe credibile eſt. Ideo forſan, ad præſentia ſi reſpiciamus tempora, & poſtquam clara lux doctrinæ Evangelicæ, ſingulari DEI beneficio, in priori ſeculo, in Germania emerſit, & aliqualis horum Collegiorum reformatio, magnorum Eccleſiæ Luminum, Lutheri, Bugenhagii, Chemnitii, Chytræi, Sacci, & aliorum operâ & conſilio ſuscepta, deſcribi Canonicatus poteſt, quod ſit Cœtus ſeu Collegium Eccleſiaſticum, conſtans viris, pietate, eruditione & virtute conſpicuis, qui, conſilio & auxilio ſuo, cujusque loci Epiſcopo in Eccleſiaſtica adminiſtratione & gubernatione præſto ſint, vel olim eſſe posſint.

Th. IV.

An Canonicatus ſit ſtatus Eccleſiaſticus, Politicus, vel Oeconomicus? non omnes eandem fovent opinionem. Nonnulli Canonicos Eccleſiaſticas perſonas eſſe volunt; Alii ipſos Politicos Dominos eſſe ſtatuunt, idq; propter publicam dominationem, quam exercent: quippe quod quædam Canonicorum Collegia ex ſolis

nobi-

nobilibus Perſonis, ad Politica magis officia, quàm Eccleſiaſtica inſtitutis conſtent, & deſuper integræ ditiones, civitates & pagi, in quas Epiſcopi & Canonici jurisdictionem obtinuerunt, absq; politica horũ adminiſtratione gubernari non posſint. *Himm. d. c. 2.* ad neutrum horum referre voluit Canonicatum, ſed Scholaſticum eum dixit; Status enim, ſecundum hujus viri & eximii Theologi mentem, eſt vel primus vel ortus. Primus ipſi eſt Scholaſticus, ſeminarium Statuum reliquorum. Ortus à primo eſt vel Eccleſiaſticus vel Politicus, & hicce partim publicus, nimirum civilis in Republ. partim privatus, nimirum œconomicus in domo privata. Sed nullus dubito, cum magno Lutheranæ Eccleſiæ Theologo B. Gerhardo *in præfat. ad. Loc. Theologic. tom. 7. de Conjugio*, Canonicatum, maximè poſt reformationem, referre ad ſtatum Eccleſiaſticum, modo ſtatus Eccleſiaſticus non accipiatur in *latisſima & generalisſima ſignificatione*, pro qvovis Eccleſiæ Chriſtianæ membro, qua ratione omnes Chriſtiani ſunt Eccleſiaſtici, i. e. membra Eccleſiæ; nec *ſtrictisſima & ſpecialisſima*, pro illis, qui munere docendi, Sacramenta adminiſtrandi, ægrotos viſitandi &c. in Eccleſiâ funguntur. Nam & in hoc ſignificatu Canonicos non eſſe Eccleſiaſticos in probatulo eſt. Neque enim habent certum aliquem Auditorum gregem ſibi commisſum, quem verbi prædicatione & Sacramentorum adminiſtratione paſcant, ſed in *intermedia*, quæ, reſpectu prioris, ſpecialis, reſpectu poſterioris, generalis dici poteſt. Juxta eum enim in Eccleſiaſtico ſtatu vivere, ſive Eccleſiaſticam perſonam agere is dicitur, qui nec merè privatam agit vitam, nec polituo imperio fungitur, ſed certum aliquod officium ad Eccleſiæ commodum pertinens adminiſtrat. Deinde diſtingvo cum prædicto Gerhardo & Matth. Steph. *disc.*

jur.

Jur. publ. tom. 2. discurs 3. circ. fin. inter integra Collegia Canonicorum & membra Collegiorum seu singulas personas: Si de toto & integro corpore quæstio instituatur, Ecclesiasticum meritò Collegium dicitur, quamvis non omnes ac singulæ personæ, quæ in illis locum obtinent, Ecclesiasticis officiis fungantur. Neque enim quod uni vel quibusdam in Collegio personis non competit, illud statim toti & integro denegandum: prout neqve id, quod toti & integro Collegio tribuitur, idem singulis Collegii membris, prout seorsim & in se considerantur, statim competere absolutè necessarium est: idq; duobus exemplis declarari potest; Consistoriorum scilicet & Academiarum: Consistoria enim à Principibus August. Confess. addictis instituta, ut præsint decisioni causarum Ecclesiasticarum & Matrimonialium, disciplinamque Ecclesiasticam tueantur. Rectè dicuntur Collegia Ecclesiastica & Consistoriales sunt Ecclesiastici, ratione totius & integri Collegii, quod, prout dictum, negotiorum Ecclesiasticorum causa institutum est, quamvis non Ecclesiasticæ duntaxat personæ, sed politicæ in illis præsideant assideantve. Simili modo in Senatu Academico non tantùm Professores Theologiæ, sed aliarum etiam Facultatum Professores habentur, qui tamen dicuntur Ecclesiastici, ratione scilicet totius Collegii, quod nimirum Ecclesiasticum potius quàm Politicum Collegium habetur. *Gerhard. & Steph. dd. ll.*

Th. V.

Causa efficiens remota est DEUS Ter Opt. Maximus, qui, uti omnis boni ordinis & status Author dicitur, ita & Canonicatuum non immeritò prædicatur. Proxima verò sunt pii & probi Institutores ac fundatores, quorum in Germaniâ primus fuit laudatissimus Imperator Carolus

Ius re & nomine Magnus. *vid. Constit. Imperial. Carol. Magn. Aqvisgrani An. Christi 798 promulgata, qvæ extat apud Melchior. Gold. tom 3. Const. Imp.* quem secuti sunt Imperatores, Reges, Principes aliiq; cum primis Ottones, Ludovici, Henrici, &c. ut ex Historiis constat, qui omnes singulari pietate & salutari consilio Canonicorum Collegia instituerunt.

Th. VI.

Materia ex quâ, analogicè ita dicta, Canonicatus constat, sunt hujus Ordinis & Collegii personæ idoneæ, ipsimet scilicet Canonici, quorum alii primi gradus dici solent, qui nimirum prælaturas & dignitates habent, atque Prælati audiunt, in specie Præpositus, Decanus, Vice-Dominus, Cantor, Scholasticus, Thesaurarius. Episcopum his non annumero; Episcopus enim non censetur habere dignitatem, cùm sit apex dignitatis. *Dd. in cap. 3. de Prabend.* Alii secundi gradus & simpliciter Canonici dicuntur, qui Canonicatus minores habent, quorum possessores locum (vulgò stallum) in choro & vocem in Capitulo habent: alii Vicarii, qui scilicet vicarias seu simplicia beneficia quidem, non verò sessionem & votum in Capitulo habent.

Th. VII.

Huc cumprimis pertinent tum personarum Canonicarum, *qualitates*, tum earundem *legitima Vocatio.* Quod qualitates Canonicorum attinet, alibi plures, alibi pauciores in Canonico requiruntur, id quod ex peculiaribus cujuslibet Collegii Constitutionibus dependet. In plerisque Collegiis ætatis cumprimis, doctrinæ & vitæ ratio haberi solet: *Ætas* enim debet esse legitima; legitima verò alibi lia habetur; sic in Capitulo Camminensi nemo ad Prælaturæ vel dignitatis numerum eligitur, nisi vigesimum quintum ætatis annum attigerit, cæteri inferioris

gradus Collegæ in Collegium nec primò vocantur nec asſumuntur, ſi infra annum decimum ſextum ætatis fuerint. Alibi viginti quinque anni requiruntur, ut recipi quis posſit, id eſt, ſesſionem & votum in Capitulo habeat, ut in Capitulo Lubecenſi. *Doctrinam* quod attinet, non tantùm bonis literis inſtructus ſit Canonicus, &, ſecundum nonnullorum Collegiorum ſtatuta, præciſe requiritur, per tres annos in una Academia vixerit, idque legitimo teſtimonio probaverit, ſed & certæ religioni addictus ſit. Alibi etiam & Romano-Catholicæ & Lutheranæ Religioni addicti; alibi tantùm, qui Lutheranæ religionis ſunt, admittuntur. Sic in Capitulo Camminenſi nemo, niſi qui Orthodoxæ religioni addictus eſt, recipitur. In Capitulo Lubecenſi major pars Canonicorum Lutherani ſunt, quatuor tamen vel quinque, nî fallor, qui Romanæ Catholicæ Religionis ſunt, admittuntur. Sed hîc quæſtio moveri poteſt, ſi à Patrono aliquis nominatus fuerit, qui alterius Religionis eſt, quàm leges Collegii requirunt, num Capitulum nominatum recipere teneatur? Et puto, quod non, ut potius, vi juramenti Capitulo circa receptionem præſtiti, Canonici cauſam illegitimatis cum debita reverentia & ſubmisſione Domino Patrono exponere & ſimul petere teneantur, alius ut nominetur, quem legitima cauſa non reprobat. Denique laudatæ & inculpatæ *vitæ* ſit Canonicus recipiendus, requiri ſolet; Famoſis enim & notatis ſeu quos ſcelus aut vitæ turpitudo inquinat & quos infamia ab honeſtorum cœtu ſegregat, dignitatis & honoris portæ non pateant. *l.2.C.de dignit. c.infamibus. 87.de Reg.jur. in 6.*

Th. VIII.

Vocationem legitimam quis conſequitur vel à toto Collegio Canonico, ſi jus illud habeat, vel à Patrono, prout hoc

hoc jura & privilegia Collegii disponunt, idque mediante institutione Canonica *c.1. de Reg. Jur. in 6.* Canonica verò institutio dicitur, quæ est facta secundum canones & ab illis approbata: ad quam requiritur tam legitima potestas ex parte instituentis seu conferentis, quam ex parte ejus, qui instituitur, sive confertur beneficium, decens habilitas, ac denique ut servetur solemnis forma institutionis à jure requisita. *Gloss. in cit. c.1. ad verb. obtineri. Dyn. Muxell. ibid. n. 7.* Cœterùm modos, quibus beneficia Ecclesiastica acqniruntur; alii sex recensent, ut *Joann. Streinius in summa jur. Canon. pag. Tit. 6. de modo conferend. benef. in pr.* Alii tribus potissimùm modis acquiri beneficia credunt, Electione scilicet, ad quam reduci potest postulatio: Præsentatione & Collatione. *Pyrhing. in noviss. ad Decratal. comment. ad tit. de prabendis & dignit. §. 1. pos. 53.* At verò cùm electio in Prælaturis & dignitatibus tantùm, non verò in simplicibus beneficiis locum habeat. *Valer. Andr. Dessel. in Erot. jur. Can. lib. 1. Tit. 5 de Elect. & elect. pot. q 1 Hinr. Zœs. ad Decr. ad eund. tit. n. 1.* Remanet quà hos Præsentatio & Collatio: illa est personæ per Patronum Episcopo vel Capitulo legitimè facta exhibitio. *Streinius in summa jur. Can. pag. 1. Tit. 6 pr.* Collatio verò est & dicitur concessio beneficii vacantis facta ab habente potestatem. Eademque dividitur in voluntariam seu liberam, quæ liberè fieri solet, unde ea donatio vocatur *c. fin. de offic. vicar. in 6.* & in necessariam seu obligatoriam, quam Collator facere tenetur, quæ propriè Institutio dicitur, & fit præcedente præsentatione & nominatione, ex quadam necessitate, si præsentatus & nominatus idoneus sit: nam quod collatio strictè accepta differat ab institutione, habetur *in c. cum in illis. 16. §. cum autem. de prabend. in 6. Pyrhing. d. l.*

Th. IX.

Quoniam bona Ecclesiastica in Canonicorum Collegiis pleraque á Principibus & Nobilitate donata sunt, justum quidem & æquum est, vicissim rationem eorum præ aliis in fruendis honoratioribus beneficiis haberi, modò idonei sint, &non excludantur ignobiles idonei vel magis idonei; per nullam enim consuetudinem quantumvis diuturnam induci potest, ut soli Nobiles recipiantur ad Canonicatus Ecclesiæ Cathedralis vel Collegiatæ, quia talis consuetudo repugnat institutioni & primario præcipuoque horum Collegiorum fini, ad quem obtinendum requiritur nobilitas virtutum & scientia, non autem nobilitas generis, ideoque talis consuetudo irrationabilis censenda est nec observanda, *c. ult. X, de consvet. c. 29. X. de major. & obed.* multò minus valet statutum excludens ignobiles alioquin inoneos à Canonicatibus. Nam consvetudo majorem vim habet contra SS. Canones quàm statutum: per consvetudinem enim rationabilem & legitimè præscriptam abrogari potest Jus commune Canonicum; non item per statutum. *Pyrhing. ad Decretal. lib 3. tit. 5. Sect 4 de Præbend. & dignit. posit. 112.* Sed quid si ex primà fundatione alicujus Capituli hæc conditio expressè requiratur, ut tantùm Nobiles aut Illustres in illud recipiantur? valida dicenda est illa fundatio & institutio. *arg c rerum. 4. de condit. appos. & ibi gloss. ad verb. conditione donatur.* cum talis modus, pactum vel conditio secuudum se & ex objecto suo non illicita, dummodò Nobiles illi aut Illustres alias sint idonei sive virtute & scientià præditi. Idqve confirmatur usu & observantià; freqvens enim est & usu receptum, ut fundationes Beneficiorum fiant pro certa familia, aut ex certa civitate oriundis, ita ut si idonei sint, reliquis sint præferendi, nec admit-

admittantur extranei: Ergo itidem fieri poteſt & valere debent hujusmodi fundationes pro ſolis Nobilibus & Illuſtribus. *Pyrhing. d. l.*

Th. X.

Cœterùm, ut ut Cononicatus à Patrono vel Capitulo gratis conferantur; absqve omni tamen ſpecie Simoniæ, ab eo, qui in Collegium primò recipitur, Collegis honorarium, vel certa pecuniæ ſumma, in Fiſcum publicum, prout vel moris eſt, vel cujuslibet Collegii ſtatuta & Leges requirunt, ſolvitur, Gerhard. *in cit. præfat.* Himmel. *alleg. tract. cap. 4. p. 45.* Illud enim ad conciliandum Collegarum favorem plurimum facit: hoc vero ad conſervationem Capituli hujusque patrimonii utile, imò ſæpius neceſſarium eſt, ne ſcilicet unquam ſumptus deficiant, quibus poſſesſiones & prædia Capituli conſervari, & deſolata refici, reditns certò ſequi, & ad Canonicorum ſuſtentationem ſufficere posſint. Major vero difficultas & dubitatio eſt, numne Simoniacum ſit, præbendam in gratiam alterius reſignare, &, acceptâ certâ pecuniæ ſummâ, eam alteri cedere, ſicque Canonicatum pecuniâ acquirere? Affirmativam defendunt Gerhardus & Himmel. *dd. ll.* Sed B. Lutherus contrarium tenet, quando in explicat. *c. 23. Geneſ. p. m. 220. & ſeqq.* omninò negat, Simoniam eſſe vendere vel emere bona Eccleſiæ oblata, beneficia, clinodia aliaque ab initio ad alendos miniſtros collata. Scilicet quod Simonia ſit, vendere dona à DEO nobis data, quæ verè ſunt ſpiritualia, ut remisſio peccatorum, dona Spiritus S., gratia DEI. Dona verò Eccleſiæ oblata nec proprie dicenda eſſe ſpiritualia, neque à DEO data; ſed ab hominibus Eccleſiæ oblata, ut fundi, domus, pecunia & ſimilia: & hanc negativam poſt Luther. & Theologos Marpurgenſ. *in Conſil. de Canonicatibus*

 probat

probat Anton. Coler. JCtus, Canonic. Blaſian. Brunſvv. *in Script. ſuo Germanico, quod ſuppreſſo nomine anno 1617. edidit ſub tit.* Kurtzes gegründetes Bedencken/ob im Heil. R. Reich die Ertz-Hohe-und andere Stiffte neben derſelben Anverwandten und zugethanen Perſonen beſtändiglich in ihren eſſe und Weſen zu unterhalten? *p. 46.* Carpz. quoq; *in Juriſpr. Conſiſt. Lib. 2. tit. 16 Defin. 312.* à Simoniâ Canonicatuũ redemptionem abſolvit, dum acquiſitionem Canonicatus, certâ pecuniæ ſummâ factam, verè & propriè Simoniam eſſe negat; pro tali verò haberi, & per conſequentiam talem non conventionem non ſubſiſtere ſtatuit.

Th. XI.

Progredimur ad Canonicatus *Formam*, quæ rectè conſiſtere dicitur in ordine, ſecundum quem totum Collegium Canonicorum gubernatur & dirigitur. *Himmel. d. l. c. 5.* Huc pertinent cujuslibet Canonici Collegii Statuta & Leges, quæ certum ordinem depingunt & deſcribunt, atque tam in genere quàm in ſpecie, quodnam ſcilicet ſit officium Epiſcopi, Præpoſiti, Decani, Vice-Domini, Theſaurarii, Cantoris, Scholaſtici & reliquorum Canonicorum oſtendunt.

Th. XII.

Finem, propter quem Collegia Canonicorum primitus inſtituta ſunt, quod attinet, alius principalis ſeu primarius, alius minus principalis ſeu ſecundarius dicitur: *Ille* triplex ſtatuitur, ut ſcil. ſint Eccleſiæ ac Reipubl. Seminaria, pietatis & cultus divini Gymnaſia, & denique Conſiſtoria Eccleſiaſtica: *Hic* verò Familiarum Illuſtrium & Nobilium conſervatio fuit. Ad noſtra ſi reſpiciamus tempora, ceſſat quidem *primus* finis *primarius*, & cùm in Germania paſſim locorum Academiæ vigeant ac floreant, in quibus futuri Eccleſiæ miniſtri ſufficienter informan-

formantur; utique Canonicorum Collegiorum opera eam ad rem non amplius necessaria; *Secundus* tamen & *tertius* facile obtinebitur, quando in illis non alii recipiuntur, quàm viri pietate, eruditione & virtute conspicui, quique tales sunt, qui donis, ad munia hujus status ritè obeunda necessariis, instructi sunt, hoc est, qui vel jam ante eruditionis, virtutis & experientiæ studium ita deduxerunt, ut suo consilio & operâ Ecclesiæ ac Reipubl. salubriter inservire; atque Episcopo in Ecclesiastica gubernatione adesse valeant, vel de quibus certa spes elucet, quod in Collegiis Canonicorum ita formari possint, ut eorum opera Ecclesiæ ac Reipubl. postmodum usui esse queat. Sic secundarius quoque finis haberi potest, quando ex fundatione Collegii, Illustribus tantùm & ex Nobilium stemmate natis, modò sint idonei, & à divinarum atque civilium aliarumque rerum in communi vitâ necessariarum cognitione atque peritiâ instructi, nec non aliis honesto loco & genere prognatis, quorum virtus, doctrina, inculpati mores atque utilium rerum peritia explorata est, vel etiam viris de Ecclesiâ vel Republicæ optimè meritis Canonicatus conferantur. Huc pertinent, quæ habet & post fata insignis Theologus Fridericus Balduinus *in Cas. Consc. lib. 4. c. 4. cas. 3.* (quæque post hæc scripta demum vidi) ubi notandum, ait, discrimen faciendum inter eos, qui Canonicatibus fruuntur: Quidam sunt meri Ecclesiastici, qui in Scholis & Academiis docent, aut pars sunt Ministerii sacri, aut, scribendo contra adversarios, religionis puritatem tuentur. Et hi præ reliquis omnibus, optimâ cum conscientiâ, bonis fruuntur Ecclesiæ, quæ hunc potissimùm in finem olim ordinata sunt. Quidam sunt Politici, sed consilio, re & operâ inserviunt Reipubl. ut in tranquillo statu maneat, & ipsa

Eccle-

Ecclesiæ bona sarta tectaqve serventur, rectèq; collocentur. Hi de bonis illis partem aliquam, instar salarii, participare bonâ cum conscientiâ possunt. Nam & suo modo serviunt altari, idcirco & ipsi de altari vivunt: præsertim cùm bona Ecclesiæ tanta fuerint, ut præ aliis omnibus Ecclesiæ Ministri, ut & Studiosi adolescentes, ac alii Sacrosancto Ministerio adjuncti sufficienter & liberaliter sustentari nihilominus queant. Quidam verò horum nihil faciunt, ut sunt vel Emeriti, qui olim in juventute Ecclesiæ & Reipubl. inservierunt, & jam reliquias annorum suorum DEO consecrarunt: quibus si quid de beneficiis Ecclesiastícis conferatur, id meritò fit.

Th. XIII.

Ex his jam satis superque patet, primò, quod minimè probanda sit nonnullorum Pseudo-Politicorum opinio, qui vel odio vel invidiâ statuunt, Canonicorum Collegia delenda esse & exstirpanda, idque, ut ajunt, propter abusum, qui subinde, ut in omnibus aliis, etiam optimis rebus, ita & in Canonicatibus occurrit. Sed quis non videt falsissimum hujus opinionis fundamentum? Quid enim salvum in mundo remaneret, si, quicquid utile est, propter abusum rejiciendum esset? Quibus enim rebus non abutimur? Usus habet laudem, crimen abusus habet. Præterea publicis non modò Imperii Decretis, *vid Recess. Imperii August an. ab Anno 1555. Ratisbonens. ab Anno 1557. & Augustan. ab Anno 1559.* sed & tot præstantissimorum Theologorum, Lutheri, Chemnitii, Melanchthonis, Sacci & aliorum sententiæ directò contraria est, prout eleganter hoc ostendit Antonius Côlerus *in supra citato tractatu germanic. per tot.* ubi latius hoc & cumprimis *p. 1. & 2.* per rationes & virorum doctorum testimonia deduxit: consentit Gerhard. in *citat. præfat.*

Th. XIV.

Th. XIV.

Secundo, quid respondendum ad quæstionem, num Status Canonicorum nostratium ita comparatus sit, ut illæsà quis conscientiam Canonicorum statui se addicere & vitam in illo DEO gratam degere queat? scilicet quod sic: modò literis operam sedulò quis impendat, Ecclesiæ ac proximo serviat, vitamq; honestam & inculpatam agat. Vid. Theologi & JCti *apud Dedekenn. in consil. in append. ad loc. de ministr. sect. 2.* von den Thumbherren *num. 3. seq.* Balduin. *in Cas. Conscient. lib. 4. c. 4. cas. 3.* Gerhard. *d. praef. vs. Quartum denique.* Anton. Coler. *cit. tract.* Carpzov. *Jurispr. Consist. lib. 2. Tit. 19. Defin. 312.*

Th. XV.

Nihil ferè hic addo, præterquam quod, cùm suprà aliquoties mentio facta sit Cathedralis & Collegiatæ Ecclesiæ, subjiciam, quæ sit Cathedralis, quæ Collegiata Ecclesia? *Illa* est, in qua Episcopus ipse cum Collegio seu Capitulo residet, in vernacula dicitur eine Thumbkirch/Hohes Stifft/Thumb-Stifft/ qualis Camminensis est. A Cathedra nomen habet, quia in ea considere & populum docere debet Episcopus. *Hæc* Collegium habet, vel quæ ex Collegio constituitur, deest autem illi caput, quod est Episcopus Cathedralis Ecclesiæ, qui plures Ecclesias Collegiatas sub se tanquam capite habere potest, German Collegial-Kirch/Stifft/ uti Stetini & Colbergæ est. Confer. Streinius *in summ. jur. can. p. 1. tit. 4 §. 2.* ubi alias adhuc inter Cathedralem & Collegiatam Ecclesiam differentias adduxit. vid. Joach. Steph. *lib. 2. c. 2. n. 17. & 18. Inst. jur. Canon.* Besold. *in thesaur. pr. in verb.* Thum-Kirch. His opponi solet Ecclesia Parochialis, quæ constat ex conventu certorum hominum, vel civium, per viciniam cohabitantium. Pfarrkirch. Steph. & Besold. *d. l.*

Th. XVI.

Deinde de Canonicis adhuc notandum, quod alii ſint Præbendati; qui unà cum Canonicatu Præbendam habent, dicuntur aliàs *Canonici in Floribus*. And. Val. Desſel. *Erot. Jur. Canon. tit. de Præb. & dignit. q. 2.* Alii verò, qui non habent Præbendam, ſed tantùm creati de novo in aliquâ Eccleſiâ, ad Effectum obtinendi dignitatem, adminiſtrationem perſonalem vel officium: & hi vocantur *Canonici in herbis*, vel *honorarii*, quia eis Canonicatus honorarius vel in herbis aſsignatus eſt, ut Dd. *in Cap. Dilectus X. de Præbend.* notant, à ſimili, ut frumentum dicitur in herbis *in l. fiſtulas. §. fin. ff. de contrah. empt.* Joach. Steph. *d. l. n. 10.* Desſel. *d. l.* *Illi* jus in re; *Hi* jus modò ad rem; ad primam ſcil. Præbendam vacaturam habent. *Matth. Steph. vol. 2. discur. 3.* Strein. *d. l. §. 3. vſ 3.* Et ſic Canonicus actu quidem & reſpectu temporis præſentis eſſe poteſt ſine præbenda, ſed non ſine ſpe futuræ præbendæ & ſic non reſpectu futuri temporis, Tuſchus *in C. concl 30.* id enim esſet titulus ſine ſtipendio. Proſp. Fagnan. *in 2. part. prim. Decret. ad C. cum pridem. X. de pact. n. 96.* idem *in C. cum M. Ferar. X de conſt. num. 17.* Hæc enim duo ita ſunt naturaliter conjuncta, ut cui confertur Canonicatus, debeat aſsignari & Præbenda, ſi quæ vacat; ac ſi non vacat, debeat exſpectari vacatio. Proſper. Fagnan. *d. l.* idq; in quibusdam Eccleſiis Germaniæ, Galliæ, Italiæ frequens eſſe, ut nimirum juvenes, dum literis dant operam, in Collegium Canonicorum cooptentur, quibus tamen Præbenda non ſtatim detur, ſed poſtea, cùm aliqva earum Canonico & poſſeſſore vacat, ex Azorio not. Strein. *d. l.*

Th. XVII.

De eo dubium eſt, an impetrans Canonicatum ſibi quoque proſpicere teneatur in literis mentionem facien-

do

do de Præbenda, quod si non factum, nullum jus eam petendi habeat? Et Resp. cum Decio *ad C. cum adeo X. de rescript. col. 1. n. 2.* quia Canonicatus non potest esse sine Præbenda, licet Præbenda possit esse sine Canonicâ, ideò quæstio supervacanea quidem videtur maximè in Germania, ubi conjuncta sunt Canonia & Præbenda, in tantum, ut illudi se crederet, cui absque Præbendâ & fructibus Canonicatus promitteretur. Felin. *ad cit. cap. cum adeo. X. de rescript.* Strein. *d. l.*

Th. XVIII.

Sunt præterea, qui Canonicos dividunt in regulares, & irregulares seu seculares: *Illos* dicunt, qui secundum regulas vetermu Canonicorum vivunt. Hos v. qui sine omni Canone vel regulâ vitam ducunt. Sed ipsi pontificii hanc distinctionem rident, cùm omnis Canonicus est regularis, h. e. sub regula & Canone Ecclesiæ vivens, Episcopo subditus & Ministeriis Ecclesiasticis deditus est & esse debet. vid. Georg. Cassander *in consult. super Augustan. Confess. art. 25. tit. de Canonic.* Grantz. Metropol. *lib. 7. cap. 50.* Himmel. *de Canon. c. 10.* & cumprimis Marc. Anton. de Domin. *lib. 2. de Republ. Eccles. c. 9.* Cæterùm paulò aliter Matth. Steph. *cit. discur. jur. publ. 3. vol. 2.* accipere videtur Canonicos seculares & regulares: *Hos* vocat, qui Præbendas habent in Monastariis & jus suffragii in suo Capitulo *c. fin. de regular.* *Illos* verò, qui Præbendam in Ecclesia Collegiata vel Cathedrali habent: ac si non & hi secundum canonem primarium, i. e. Scripturam Sacram vel regulas sui Collegii vivere tenerentur? quod certè ex statutis & legibus Collegiorum satis abundè constat.

Th. XIX.

Quales esse debeant Canonici, quibusq; virtutibus instructi, item legitimè vocati ex supra dictis dubio pro-

culpatebit. Non verò ſufficit, ut vocati ſint legitimè; niſi etiam ſint recepti in Collegium; Per receptionem ſeu inſtallationem enim jus demum in re conſeqvuntur. Sed ſi quæſtio Status alicui moveatur, num ſit Canonicus? neceſſe habet, probare ſe Canonicum eſſe, legitimeq; receptum à Collegio. Probatio verò hæc non tantùm per ſcripturam, ſed & per teſtes fieri poteſt. vid. Maſcard. *de probat. vol. 1. concluſ. 200.* ubi ex profesſo agit, quomodo quis probetur vel præſumatur Canonicus?

Th. XX.

Cœterùm ut ut variis modis Canonicus quis eſſe deſinat: potiores tamen ſunt Delictum & Renunciatio *Delictum* quod attinet, grave ſit & publicum, ut Canonicus ex Eccleſia & Collegio ejiciatur. Ob Exceſſum n. modò non enormis fuerit, & ſpes emendationis adſit, Canonicus modò reditibus carere tenetur, donec Capitulo reconciliatus fuerit. Quod verò *Renunciationem* concernit, non multum dubii ſubeſſe videtur, quin renuntiare quis posſit Præbendæ non modò, ſed & ipſi Canonicatui. *arg. l. pen. C. de pact. l 41. ff. de minor.* Sed ſi Præbendæ quis renuntiaverit, an & Canonicatui renuntiaſſe cenſeatur? quæſtionis eſt, & reſpondetur, quod non, modò id factum ſit cum proteſtatione, quod Canonicatum dimittere nolit; Canonicatus enim & Præbenda tituli diſtincti ſunt, unusq;; ſine alio aliquando haberi poteſt. Marta *in Digeſt. noviſſ. ſub tit. Canonicus. c. 34.* Sed an Canonicus posſit renuntiare Præbendæ, antequam eam recipat? & reſpondet Marta *d. l. cap. 6. itidem,* quod non.

Th. XXI.

Hactenus de Canonicis & Canonicatu. Sequitur ultimum Diſcurſus hujus Inauguralis membrum, de Canonicorum Collegio ſeu Capitulo, de quo breviter

pro

pro temporis & pagellarum angustia. Dicitur verò Canonicorum Capitulum, qua si parvum caput, & est diminutivum à Capite. Canonici Doctores enim quotidie, & in certa quadam hora, in Lectorio, integrum caput Biblicum legere atque explicare tenebantur. Et verò, si caput illud prolixum nimis esset, ut unâ vice explicari non potuerit, sufficiebat totius capitis unicum saltem membrum interpretari: quod membrum dictum fuit, ut conjicitur, Capitulum. Himmel. *d. tract. c. 2.* Aliam derivationem rationem adducit Anton. Cuchus *Inst. major. jur. Canon. l. 2. c. 9. n 1.* Accipitur verò Capitulum aliquando pro *loco*, ubi Monachi & Canonici congregantur (qui inde Capitulares dicuntur, & leges, quæ in Capitulo, communi Procerum & primorum consensu constituuntur & ordinantur, Capitularia) das Capittel oder das Capittel Hauß. Aliquando usurpatur hæc vox pro *locato*, seu ipsis Canonicis congregatis. Melch. Goldast. *in reb. Aleman. tom. 1. fol. 200.* Hocq; intuitu major pars Canonicorum facit Capitulum. Besold. *in Thesaur. pract. verb.* Capitul. Est aliàs Capitulum nihil aliud, quam totus cœtus sive Collegium Canonicorum alicujus Ecclesiæ Christoph Besold. *d. l.* Rittershus. *ad Novell. p. 1. cap. 7. n. 93.* seu Senatus quidam Ecclesiæ. *c. Ecclesia. c. 16. q. 1.* puta Collegiatæ vel cathedralis. Cæterùm quia & in Monasteriorum & Collegiorum Capitulis censura in mores peragi solebat, nata inde est Germanorum phrasis, einen Capitlen/ aut etiam einem ein Capittel lesen/ pro corrigere & verbis acerbis castigare, dicitur aliàs einen filtzen/ oder einem einen guten Filtz geben. Goldast. & Besold. *dd. ll.*

Th. XXII.

Hujus Capituli magna quidem est potestas. Episcopo enim mortuo, non etiam Ecclesia censetur mortua.

 Nam

Nam *Capitulum non moritur*, ut in proverbio dicitur, ut potius Capitulum ipsius vices sustineat, donec novus Episcopus eligatur. Rittershus. *ad Novell. d. l. n. 94.* totumq; Regimen descendit ad Capitulum jure devoluto & quasi accrescendi Weber. *Introduct. Episc. tit. 15.* Paurmeister *de jurisdict. lib. 2. c 9. n. 115. & seq. 116.* Sunt enim subditi vacante Episcopatu jurato ad Capitulum remissi *c. cum olim. de majorit. & obed.* Hinc omnia posso dicitur Capitulum sede vacante, quæ potest Episcopus. *c. unic. de Maj & obed. in 6.* Gail. *1. obs. 30. n. 10.* nisi expressè reperitur prohitum. Cardin. Zabar. *Consil. 35. n. 3.* Omnia, quæ ad notionem & imperium pertinent, tam quoad voluntariam quàm contentiosam jurisdictionem, æque ac Episcopus expedire potest, Paurmeist. *d. l. n. 121.* Potest & facere statuta & reformationes pœnales circa crimina & excessus: visitare subditos sede vacante, & de hæresi punire: Authoritatem interponere in permutatione beneficiorum communium, & in alienatione rerum minoris: absolvere ab excommunicatione. *c. unic. de Maj. & ob. in 6.* Recipit quoqve resignationem beneficiorum, quæ ad solum Episcopum spectant: instituit præsentatos à Patrono & confirmat electos: absolvit à juramento non modò ad effectum agendi, sed & quovis illicito: potest dare licentiam ædificandi Ecclesiam & concedere, ut ædificans acquirat jus patronatus: Concedit etiam Capitulum, sede vacante, facultatem conferendi gradum Doctoræ vel Magisterii eruditis viris, ubi Episcopus ante consuevit dare licentiam. vid. Card. Tuschus *in Concl. in C. concl. 56.* Anton. Cuchus *Inst. jur. can. 2. c. 9.* & Joh. Francisc. Pavin. *in tract. pecul. de vi ac potest. Capit. sede vacante.*

Th. XXIII.

Non tamen omnimoda est potestas, quæ Capitulo com-

competit: cum multa ſint, quæ Capitulo non licent, Matth. Steph. *vol. 2. Diſc. jur. publ. 3.* Sic non poteſt ea, quæ ſunt gratiæ, ſed tantùm quæ ſunt juſtitiæ: non ea, quæ ſunt ordinis, e. g. ordinare Clericos conſervare Eccleſias Anton. Cuchus *Inſtit. jur. can maj tit. 9. de offic. & poteſt. Capitul. n. 1.* Non poteſt conferre beneficia ad ſolum Epiſcopum ſpectantia. vid. Card. Tuſchus *in lit. C. concluſ. 56. per tot.* BOna Eccleſiaſtica non poteſt alienare, Gail. *1. obſ. 30. n. 11*, nec quicqvam in præjudicium Eccleſiæ ac ſucceſſorum ſeu futuri Epiſcopi facere. Klock. *vol. 1. conſ. 35. n 112. & ſeq.* ut potius ea, quæ illegitime facta, poſtea legitimè ab Epiſcopo revocentur. Gail. *d. l. n. 18.*

Th. XXIV.

Capitulum, ſede vacante, æquè ac Epiſcopus privilegio Auſtregarum fruitur. Petr. Frid. Mind. *l. 1. c. 19. n. 7. de proceſſ.*; unde & Feuda Imperii apud Capitulum permanent; & illud ad Imperii conventus ac Comitia vocatur, poſt Bertram. *de Commitiis th. 37.* Speidel. *in Theſaur. Notab.* & Reiger. *in Theſaur. jur. ad verb. Capitulum.* Arumæ *ad Aur. Bull. Diſcurſ. 1. th. 24. p. 55. & 57.* Sed major difficultas eſt circa hanc quæſtionem: Utrum Capitulum cujus Archi Epiſcopus Elector eſt, hoc deficiente, Impeератorem eligendi poteſtatem habeat? e. g. An non exiſtente ArchiEpiſcopo Moguntino, ejus Capitulum poteſtate convocandi Electores uti queat? Et rectè utrumqve negatur à Rumelino *ad Aur. Bull. p. 1. D. 2. th. 12.* Reigero & Speidelio *dd. ll.* licet enim Capitulum idem poſſit quod Epiſcopus: hoc tamen in iis ſaltem obtinet, quæ Epiſcopo ut Epiſcopo competunt. confer. Arum. *d. l. p. m. 55.*

Th. XXV.

Sed an Capitulum Jurisdictionem habeat in Capitulares, quæri ſolvet? Et negat Abbas *in c. cum cauſa. n. 7. de*

offic.

offic. deleg. cùm par in parem jurisdictionem non habeat. *l.4.de recep. arb. l. 13. §.pen.ad SCt. Trebell.* verùm integrum Capitulum majus est quolibet membro, & consequenter jurisdictionem non tantùm habet in membrum Capituli, sed & illud excommunicare potest, rectè cum Chokier. *tract.de Jurisd.in exempt. lib. 1.p.2.q. 47.n.2.& 4.* Speidel. *in Specul.d.l. in add.* modò concurrant requisita illa quatuor, quæ ibidem Speidel. recenset: Et cùm ipse Abbas *in c. gratum, de post. prælat.* statuerit, quod ubi major pars Capituli delinquit, faciendo actum minus legitimè, potestas remeneat penes non delinquentes: mirum certè, quî postea contrariam opinionem fovere potuerit.

Th. XXVI.

Nihil addo, præterquam quod Capitulum in fructus Canonici defuncti succedat, non verò heres ejus. Innocent. & alii Dd. cum *Gloss.ad c.quod sicut.X.de Elect.* Quamvis de eo Consuetudines locorum & Statuta Collegiorum imprimis attendenda sint, uti rectè ad benè monet Matt. Steph. *sæpius cit.discurs.3 jur.publ.vol.2.* ubi & subjicit, quid in Capitulo Camminensi hac in re Statuta disponant.

Ne scil. heredes demortuorum Canonicorum duplici afficiantur calamitate, nim. privato Patre, Fratre, vel aliter sanguine juncto, statim etiam reditibus careant, ejus Ecclesiæ Legibus permittitur, ut, quando quis ex Prælatis vel Præbendatis ante Festum *Johannis Baptistæ*, nimirum à Calendis Januarii, usque ad diem Johannis inclusivè, etiam ipsis Calendis Januarii: item ipso die Johannis Baptistæ, non tantùm in profesto Johannis computando, è vivis discesserit, defuncti Canonici heredes (inter quos viduæ non intelliguntur) jus percipiendi integros illius anni fructus habeant. Qui annus instituto majorum annus *Gratiæ* vel heredum: & hoc casu subse-

quens

quens vel ſecundns annus *Structura* appellatur : & tertio demum anno demortui ſucceſſor reditus percipit.

Si verò poſt Johannis Feſtum aliquis Canonicorum deceſſerit, nim. poſt diem Johannis Baptiſtæ usque ad Calendas Januarii, excluſivè computando, tunc ille annus, in quo diem obierit, vulgò *Deſervitus* dicitur. Nam eo caſu ante obitum jam proventus illius anni promeruiſſe cenſetur: ideoque heredes iſtum annum præcipuum habent, tanquam deſervitum. Fruuntur etiam ſecundo anno, qui tunc eſt gratiæ. Tertia eſt ſtructuræ. Et quarto demum anno ſucceſſor in Prælatura vel Præbenda admittitur ad capiendos reditus Prælaturæ vel Præbendæ. Durantibus interim annis gratiæ, deſervito & ſtructuræ, Electus ad novam Præbendam fruitur reditibus præbendæ, quam ante novam electionem poſſederat.

Bona communia nunquam heredes percipiunt ex lege Capituli Camminenſis, ſed ea ſucceſſori Reſidenti propter onus Reſidentiæ poſt electionem & inſtallationem attribuuntur. Si verò contingat, electionem vel inſtallationem ex certis cauſis differri bona communia reliquis reſidentibus Canonicis accreſcunt.

Cœterùm, ſi vivo Canonico, præteriti unius anni reditus plenè exſoluti non ſint, permittitur heredibus Retardata, ut vocant, exigere Et quod ultimò obſervandum ex LL. & conſuetudine ejus Eccelefiæ, annus ſtructuræ non tantùm locum habet, quando Prælatus ſeu Canonicus moritur, ſed etiam ſi inferiorem posſidens Præbendam ad majorem vel ad eum, qui in dignitatum numero eſt, præmiſsâ ordinaria electione, evehitur.

Si verò ex libera voluntate Præbendam quis ad manus Capituli reſignet, tunc inferioris iſtius Præbendæ, item ejus, quæ reſignatur, reditus uno anno ad ſtructuram

ram

ram pertinebunt: Hæredum verò his casibus, cum viventis non sint heredes, nulla habetur ratio. vid. Matth. Steph. *d. l.* ex quo hæc ideò desumpsi, quia liber ille rarus est, & non in omnium manibus reperitur: Sed num idem etiam ex legibus nominatæ Ecclesiæ obtineat in Vicariis seu simplicibus beneficiis, quæritur? & respondetur, quod sic, in quantum beneficia talia Ecclesiæ & Scholæ Ministris (quod tamen pro majori parte factum dicitur) assignata non sunt. In assignatis enim Ecclesiæ & Scholæ Ministris hoc non obtinet: cùm animarum cura minimè cessare debeat, nec docendi atque Sacramenta administrandi munus vacare possit. Sicuti itaque successores statim operas Ecclesiasticas & Scholasticas subire & exercere coguntur: ita quoque percipere debent reditus anni, in quo munere Ecclesiastico vel Scholastico præficiuntur.

In Capitulo Lubecensi quando ex Canonicis quis moritur, heredes non tantùm, sed & vidua ejus ab eo tempore, quod mortuus est, duos habent annos gratiæ, in quibus omnes reditus quos defunctus, si vixisset habuisset, accipiunt.

Soli Deo Gloria.

COROL-

Corollaria.

I.

Legitima Tutela Electoralis proximo agnato per vim Testamenti auferri non potest.

II.

Civitates Imperiales sunt Status Imperii.

III.

Civitates Imperiales liberum & publicum Religionis exercitiū habent.

IV.

Academiis vi Authent. Habita ne filius pro patre, merum imperium competit.

V.

Lex per Principem lata consuetudine abrogari potest.

VI.

Tutor ob latam culpam remotus non fit infamis.

VII.

Pœna strangulationis, quâ hodie juxta Constit. Crim. Caroli V. fures afficiuntur, jure defendi potest.

VIII

VIII.

Privatum duellum honoris cauſa ſusceptum illicitum judicatur.

IX.

Legitimati per ſubſeqvens matrimonium ſuccedunt in feudis.

X.

Pater quidem non poteſt feudum pro filia in dotem dare, mulier verò feudum marito in dotem rectè dat.